



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 9. Sessio VII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](#)

convenientes Sessionem sextam habuerunt, atque eandem S. Basilii auctoratum denuo ad examen vocarunt. Ibi Joannes Marcum adversarium suum tanto argumentorum pondere in arctum coegit, ut illum prorsus elinguem reddiderit. Marco Ephesino obmutescente Imperator verba fecit dicens: *De re proposita neesse est dubitare; hoc autem forsan opportuno tempore agitabitur.* Nec tamen disputationi finem imponebant, sed Joannes ex libris S. Basilii contra Eunomium, aliisque pluribus locis ex eodem S. Patre doctrinam fidei afferere, animo invicto perexit.

### §. IX.

#### *Sessione septima Florentini Concilii.*

Idem quoque disceptationis argumentum totam tenuit sessionem septimam feria tertia die decima septima mensis Martii celebratam. Græci desperatae suæ caussæ remedium quaquaversus quærebant, tandem in quadam S. Maximi Epistola opem sese invenisse arbitrabantur. Hanc ad calcem hujus Sessionis in actis Græcis relatam reperire est, in qua Sanctus ille affirmat, Latinos, dum Spiritum sanctum etiam ex Filio procedere docent, *nequaquam afferere, Filium esse caussam Spiritus, unam quippe norunt caussam Filii ac Spir-*

Sæcul. XV.  
A. C. 1439.

*Spiritus Patrem, illius quidem secundum generationem, hujus autem secundum processum, sed significare, quod per ipsum etiam procedat, eaque ratione ostendere ejusdem sententiae nulla cum varietate communionem. Ipse Imperator hanc effugiendi rationem detexit; cum enim probe intellexisset disputationum æstu unionis negotium ad non peractum iri, ut potius majora inde dissidia enascerentur, opportunum fuisse concordiæ medium reperisse existimabat si omnibus notum faceret, ipsos metu Latinos fateri, quod Pater unica, & sola esset causa Filii, & Spiritus sancti. Quia imo omnes omnino Græci, solo excepto Marco Ephesino, & Heracleensi Archiepiscopo, uno ore exclamabant: Si Latinæ recipiunt hanc Epistolam sancti Maximiliani ejusque sententiam, cum ipsis conjungimur, nihil aliud requirentes. Imperator in eadem hac Sessione ad Patres Synodorum sermonem habens, subjunxit, cum tota Latinorum doctrina ideo reprobata Græcis videretur, quod hi duo principia a quibus Spiritus sanctus procederet, adstruxissent, jam non sine injuria ac pertinaciæ nota ulterius impugnari poterant illi, qui doctrinam omnino oppositam aperte profitentur. Quare de communione totius Synodi assensu præcepit Imperator ut pro plena dogmatis discussione absque contentionem, aut disputationem firet.*

omnes quiete ea perciperent, quæ Joan- <sup>sæcul. XV.</sup>  
nes FF. Prædicatorum Provincialis re- <sup>A. C. 1439.</sup>  
sponderet, atque sibi a Græcis objecta  
dilueret, nova, si quæ contra eos oc-  
current, argumenta proponeret, ac do-  
ctrinæ suæ veritatem comprobatam red-  
deret, quibus omnibus utrinque perceptis,  
collatisque consiliis juxta plurimorum sen-  
tentiam ultimato decisio fieret. Porro ad  
præcavenda cunctæ optatæ unionis ob-  
stacula Imperator Marcum Ephesinum, &  
Archiepiscopum Heracleensem hisce con-  
gressibus interesse prohibuit, quorum pri-  
mus jam aliunde in nuperis cum Joan-  
ne, & Cardinale Juliano habitis disputa-  
tionibus adeo acerbe exceptus erat, ut  
ipsi lingua simul & aqua hæreret, toto- <sup>Joseph. Me-</sup>  
que vultu rubore perfuso, neque quod <sup>thon. ad li-</sup>  
ageret, neque quod responderet, tunc <sup>bell. Marci</sup>  
promptum haberet, imo nequidem com- <sup>Ephes. to. 13.</sup>  
parere ausus juxta nonnullos Historicos,  
infanire crederetur. Cum enim aliquando  
ad eum venissent, qui illum ad absolven-  
dam, quam cæperat, disputationem invi-  
tarent, invenerunt eum in lecto suo jacen-  
tem, & vocibus inconditis stridentem at-  
que dicentem: *Non possum venire; hac*  
*enim nocte venerunt Cardinales sublato domi-*  
*cili*t*ecto, & membra mea virgis igneis cæ-*  
*ciderunt, illisque relictas in corpore suo*  
*plagas se ostendisse putabat, quamvis ne*  
*minimum quidem verberum vestigium ap-*  
pareret.

§. X.